



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Martivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

M A R T I V S.

S. SWIBERTUS EPISC. I. Martii.

Hujus etiam splendorem multò antè quàm nasceretur, stella nuntiavit, in matris lectulum visa delabi. Propitium certè sidus in SWIBERTO Hollandi, Daci, Lotharingi, Brunovicenses, Frisones, Westphali, Saxones, Colonenses aliq; agnoscunt, ut quibus omnibus fidem ille in superstitionis nocte prælucere cœpit, cùm primùm anno quinto decimo inter viros religiosos adlectus fuit, multò magis postea, cùm facere hoc impositum munus Episcopi jussit. Sed & Numen calculo suo Apostoli officium confirmavit, quando vinctum à Germanis, misso genio bono, è carcere eduxit. Testes porrò dicenti accesserunt præter alios cæci, surdi, muti, dæmones adeò ipsi & tres demortui; illi sani omnes à Divi manu, hi vel pulsi, vel in vitam revocati. Atque hos inter adolescentem memorant, cui vocabulum Splinterus erat. Hic SWIBERTO templum amni superstructum sacrate, dum cymbâ ludit incautus, excidit & aquis haustus mœrore festum diem contaminat. Parentes alieni à divino cultu defunctum in fanum proximum inferunt, & frustra omnibus precibus armatas Martis aures pulsant. Nimirum vitam ille redderet, qui aufert omnibus. Quod tamen hujus non potuit, JESV nomen invocatum à SWIBERTO potuit, & puer in vitam revocatus plures à superstitione revocavit. Denique stella nobilis SWIBERTVS cùm diu in terris egisset, locū suum, ex quo venerat, repetiit. *Ex Sui.*

Etiam infidelis tetanus se ei debere non ignorat, quoniam

2. Mart. VITÆ SANCTORVM. 119.
sui totius non ignorat auctorem: quid ergo ego, qui Deum
meum teneo vitæ meæ non solum gratuitum largitorem,
sed insuper, etiam copiosissimum Redemptorem, æternum
conservatorem? S. Bern. de dilig. Deo.

S. CEADDA EPISC. 2. Martii.

MORTEM ut ne timeas, time Lector: neque
Menim illi olim timent, qui nunc timent; id
quod CEADDA Merciorum & Lindisfarnorum in
Angliâ Episcopus manifestum faciet. Obiit ille
anno post orbem restauratum Septuagesimo se-
cundo supra sexcentimum. Gremium mortuo
MARIÆ templum præbuit, ipse agris asylon tu-
mulum suum, cujus pulvis haustus morbidis
quamplurimis saluti fuit. Cæterum solitus est,
dum vixit, quoties vehementior cælo ventus in-
surgeret, humi se abjicere magnisque vocibus *Mi-
sericordiam Dei implorare*: jam cælo gravius suc-
censente, & fulgura tonitruaque miscente, ad
templum fugere & aram; neque ibi prius sibi à
lacrimis temperare, quàm iterum Sol rideret.
Causam interrogatus, respondit, ex his veluti præ-
ludiis æstimare se illum supremum ac decreto-
rium diem. Utiq; minus tunc hominem fulgu-
rantes judicis oculos, & fatalem ab arcu senten-
tiam detonantē laturum. Sed, talis CEADDA nun-
quam magis serenum cælum quàm moriens
aspexit. Siquidem septē continuis diebus aspecta-
biles è cælo Angelos habuit, qui ad cæli gaudia
invitarunt emeritum, utq; aures faciles impe-
trarent, ah! quali musicâ has demulserunt. Ultimò
cum iisdem frater CEADDAE adfuit, qui cum nuper
adeò in cælum ivisset, viam scilicet nunc germa-
no monstravit. Ex Bedâ Hist. ar. Eccl. Gent. Angl.

Time,

Time, ó homo, quòd in terribili Iudicio ei presentandus es, in cuius manus horrendum est incidere, & eo examinante, quem nihil latet. Si inventa fuerit in te iniquitas, alienandus es ab universitate quietis & gloria, & segregandus à numero Beatorum. S. Bernard. ferm. de Noviss.

S. WINWALOCUS C. 3. Martii.

EX regio sanguine Anglorum se ortum WINWALOCVS vel ex hoc ostendit, quòd puerulus jam omnia præ se despexit, id demum regium ratus non terræ particulam aliquam, sed omnem omnino pedibus mundum subdere. Sed religionem cogitanti obstitit pater, magnum apud filios nomen, & pietatis hodie etiam remora. Disjecit tamen etiam hoc obstaculum fulmen, quod deprehensum in campis patrè tam diu humi afflixit, dum filium cælo, & religioni non invideret. In hanc receptus magnis statim ostentis cœpit eminare. Illud, puto, multis non lectu minus, quam scriptu nobis iucundum erit. Sororcula WINWALOCI anserem domi habebat familiarem. Huic dum incautiùs (ut ferè fit) colludit, ecce in vulvum delicias facientis hic involat, ferratoque osculo oculum exsculpsit deglutitque, heu! nimis delicatum nequam stomacho cibum. Lusca puella alterum etiam oculum plorando videbatur amissura, cum cælestis Alitis monitu WINWALOCVS supervenit, prædonem oculi anserem medium secat, erutumque oculum loco suo reponit, ipsum etiam anserem ad gregem suum amittit, nimis miti in improbum animal supplicio. Sed quid anseres reprehendimus? libentius audiemur WINWALOCVM laudare. qui centies & nocte, & die

in

in genua se abjicere solitus, cum obitum suum pridie ab Angelo didicisset, fecit mane, & ad aram ipse quoque victima placidissimâ morte procubuit. *Ex Surio.*

Magna & rara virtus est, ut magna licet operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te soli mltere sanctitatem; mirabilem te apparere, & contemptibilem te reputare. hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. S. Bern. serm. 13. in Cant.

S. KUNEGUNDIS AUGUSTA V.

3. Martii.

Nulla tam in diademate KUNEGUNDIS gemma, quam in ipsâ KUNEGUNDE virginitas splenduit; quæ ut cæli oculos mirè recreavit, ita Cacodæmonis usque adeò perstrinxit, ut, quando extinguere non poterat, offuscare saltem sinistris apud animum HENRICI suspicionibus sit adniscus: sed provocavit ad flammam judices innocentia, & innoxius à ferro candenti pes egregium inculpato animo testimonium dixit. Porro cum tori castissimi custodem mors abstulisset, verita KUNEGUNDIS tantum thesaurum mundo concedere, in Caufungensem, quem ipsa struxerat, Parthenonem cum eo se abdidit; cujus disciplinam cum Ura neptis ejus laxaret, verbis sæpius nequidquam increpitam, tandem etiam manu objurgavit, & digitorum luculentas notas in genâ ictæ reliquit, nullâ deinceps arte confusas vel deleras. Morituræ de cælo Henricus obviam iit, ad sistendum Judici orbis miraculum, Imperatores conjuges sed virgines: ad tumulum ejus multis vita reddita; qui cum KUNEGUNDEM matrem suam salutarent, probarunt immeritò virginitati sterilitatē objici;

F

quid?

quid? quòd nec ipsa gleba, sub quâ virgo cubat, infæcunda fuit, sæpe in thus & far conversa, persuasura mortalibus, nec fragrantiorum esse castimoniâ virtutem, neque felicius ullum germen. *Ex vitâ apud Gretserum.*

Si aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo famam nostram decolorare conantur, adsit conscientia solatium, quòd merces nostra magna est in calis, etiam cum dicunt homines multa mala de nobis piè tamen justèque viventibus. Aug. de bon. Viduit.

S. CASIMIRUS CONF. 4. Martii.

CASIMIRVS Casimiri Regis Poloniae F. necdum ephebis egressus in ipsa jam adyta sanctitatis est ingressus. Coronam Ungariae quanto alii studio vel ambire vel rapere solent, tanto ille repellere à capite suo adlaboravit. Summâ hyeme nudis pedibus noctu templa obibat; purpurâ non corpus, sed cilicium tegebat: somnum humi capiebat, gnarus nusquam alibi tam securos castitatem somnos dormire. His studiis occupatum morbus invadit. Lamentantur parentes; illacrimatur aula, adgemiscunt regna. Circumstant intereâ lectulum medicorum turbae, medicinam facilè nuptias suadent, concessam agro voluptatem. Sed noluit ille vivere, nobilissimâ animæ parte virginitate emortuâ. Itaque ne non virgo moreretur, juvenis moritur, dignus qui in omnium ore ac calamis vivat. Et verò vivere etiam post mortem Poloni compererunt, cum candidissimo equo investus contra Moschos moventibus Dux adfuit, & ductis per aquas compendium ad nobilissimam victoriam monstravit. Quin cum anno obiisset à pariente VIRGINE M.CCCC.LXXIII. anno deinde

de M. DC. IV. corpusculum virgineum unà cum versibus, quos in laudem VIRGINIS panxerat, secumque tumulo inferri mandaverat, integerrimum est repertum. Legant hoc ii, qui insuper habent maectare quotidie castitatem; cui tamen mors ipsa non nisi volenti vim facit, quin mortuæ etiam timet manus inferre. *Ex vitâ.*

Quousque caro misera, insipiens, caca, demens, ac prorsus insana transitorias & caducas quærit consolationes, imo desolationes; si fortè contingat repelli & indignum judicari celesti gloriâ, & aternâ cruciari pœnâ? S. Bern. serm. 6. de Adv.

S. C O N O N M 5. Martii.

INter primos Ecclesiæ flosculos CONONEM etiam numerabis, ut quem ætate Apostolorum floruisse scribunt. Huic etiam nepotum magis, quàm virtutis cupidi parentes uxorem obtruserunt. Sed CONON è sponso Paranympus factus virgini auctor fuit, in Christum potius amores suos transferret. Ita virgo uterque conjux vixit. Ut tamen non steriles fuisse autumes, Christo parentes suos genuit CONON, magnamque aliam, & nunquam morituram posteritatem miracula post se reliquit. Ipse Angelorum primipilus Michaël visus edocuit CONONEM, qui ritè sacris undis tingendum se præberet, epuloque sacro scitè hospes accumberet. Dolebis credo, qui hæc legis, juvenuti similem magistrum deesse. At cælum id ingemiscit potius, magistro huic similes hodie discipulos, Conones deesse. Sed quid discipulum voco, qui doctor sanioris doctrinæ parētibus, quemadmodum diximus extitit, eosque non nasci modo Christo, sed mori pro Christo docuit; ipse

quoque flagris ad columnam religatus, & ad internecionem flagellandus, n̄ invitum tormentis Christiani eripuissent? Superstitionis hostis maximus palam orcum fateri coëgit, nihil Numinis sibi inesse, fueruntque mali dæmones ludus CONONI. Certè pro imperio suo in illos, alios agris custodes addidit, alios testis clausos terrâ abdidit, & orbe terrarum vel mirante vel ridente, ædes inædificavit pessimis fundamentis. *Ex Menais.*

Fides vivida & catholica est, quæ velut quoddam Æternitatis exemplar præterita simul & præsentia & futura sibi quodam vastissimo comprehendit; ut nihil ei prætereat, nihil pereat, nihil præeat. S. Bern. serm. 6. de Vig. Nat. Christ.

S. FRIDOLINUS C. 6. Martii.

Felices exules, qui ut patriam quærant, exeunt patriâ! His FRIDOLINVM jure accenseas. Hibernus domo ex primâ nobilitate, tunc gentilitia decora se aucturum credidit, si superstitionem expugnatum iret, patriamque fidem extra patriam proferret. Igitur fidei signa Rauracis aliisque Rheni accolis intulit, & rebelles nuper cælo animos longè plurimos debellavit. Sub hæc visum est rei Christianæ tutandæ munitionem cœnobium exædificare. Id, quod hodie videmus, Sæckingense est, cui condendo Ursus vir apprimè nobilis patrimonium suum devovit. At invidia etiam hic cælo divitias suas invidit. Doluit frater Ursi Landolphus in hereditatem paternam secum DEVM venire, & homo, fratre demortuo, ausus est DEO sua eripere. Magis FRIDOLINVS indoluit; & quia testis è vivis nemo unus suppetebat, ad mortuos provocavit. Audit in tumultu Ursus, prodit & cum

FRIDO-

FRIDOLINO millia passuum V. Ranckurchium (ibi enim fortè jus Prætor dicebat) contendit, testis utique omni exceptione major. Nempe minimè placere Landulpho iudicio cum morte contendere; ultrò etiam suam portionem heredi DEO cedere, & assensum jam promittere, qui semissem nuper negaverat. Quid ad ista vos, quibus hodie hereditate suâ cælum excludere familiare jam est? imò vos, quid? qui donatam à Majoribus vestris ereptum iterum itis. Ad illos, ad mortuos inquam provocant sacra & sacri homines. Non surgunt, dicitis? at timete. Surgent. *Ex vii. a.*

Considera quàm multi nunc moriuntur, quibus si una hora ad pœnitentiã concederetur, qua tibi concessa est, quomodo per Altaria & quàm festinanter tandem suspirarent, donec peccatorum veniam à Deo consequi mererentur. S. Bern. l. de Int. Dom. c. i.

S. COLETA V. 6. Martii.

COLETA in vivis jam ea spectacula meruit, quæ puris mentibus CHRISTVS olim promissit, ut quæ hunc & Cælites alios familiares quotidie in oculis habuit. Quare vaticiniis ac miraculis clara, & à D. Joanne Apostolo, anulo CHRISTO desponsa, ab hoc ipso tandem in cælos deduci visa est. Epulum Eucharisticum ingenti fame appetiit; & hinc, favore in paucis memorando, eundem convivatorem & cibum quandoque nacta, CHRISTVM è CHRISTI manu accepit. Aspera quæque ferre ejus amore ita aiebat, ut omnes Martyrum cruciatus lubens volens persenserit, toties prope Martyr dicenda, quot Martyres cælum numerat. Sed ad id impulit nimirum Servator, qui ei tormenta, quæ exantlasset, quibusque

membris, singula ipse omnia enarravit. Addo, quod primo omnium loco erat ponendum. Precanti in conspectum MAGNA MATER se & FILIO-
LVN suum dederat; sed non eum, qui è sinu vel
MATRI vel COLETÆ arrideret, sed qui unum jam
toto vulnus corpusculo, lacrimis suis commiserationem videretur atque opem exposcere. Adjecit
FILIO adgemiscens MATER, illam etiam hodie
facinorosorum crudelitatem esse: utique pueritiæ
cum primis, quæ vix natum CHRISTVM, vix ipsa
nata, non jam uno concidit vulnere. Quin quod
placet prævenire Judæorū manus: puerum CHRIS-
TVN in crucem pueri agunt, nec semel agunt.
Superi! quid gigantes facient, quando bellum ca-
lo pumiliones inferunt? *Ex Steph. Iul.*

*Vide & considera, quanta sit erga te dignatio Dei
tui, & obliviscere populum tuum & domum patris tui:
de fere carnales affectus, seculares mores dedisce, à prio-
ribus vitiis abstine, consuetudines noxias obliviscere.*
S. Bern. serm. de Mut. Aquæ in Vin.

S. THOMAS AQUINAS C. 7. Martii.

THOMAS Aquinatium Comitum sanguis, in-
fans oblata fortè in schedâ verba, quibus MA-
RIAM salutamus, illico devoravit, bellaria omni
infantiæ danda. Puer in bullâ suâ mundum agno-
vit, eoque ad D. Dominici castra confugit; sed
retractus à tam generosâ fugâ egregiam pugnam
edidit, Veneremque ab inimicis domesticis sub-
ornatam, & faces sibi admoventem, raptis è foco
armis, in fugam agens novo stratagemate ignes
ignibus elusit. Ita ubi debellatum est, victoriam
gratulati Angeli, balteo virginitatis victorē exor-
narunt. Ille postea doctrinam virtuti socians, ita
de

de Republ. Christianâ meruit, ut inter Doctores sanctiores Princeps habeatur. Certè præclaram censuram CHRISTVS è cruce tulit illis verbis: *Bene de me scripsisti Thoma; merces tua qua erit?* Superi, quibus studiis veteres verbum illud BENE emendarunt! De stipendio quid dicam? dum præter ipsum, de quo scripserat, petiit nullum, majus non potuit petere. Ad aram porrò cum fecisset, solenne habuit facienti deinde alteri pro ministerio assistere, ut qui idem amant facere in pietate discipuli, illud facere se sciant, quod prior Angelicus Doctor fecit. Denique in unam DEI gloriam coniecit oculos; atque hinc à morte stellâ pectus insignis, dixit eam purâ animi intentione se meruisse. Itaque astra in quæ collimavit, facilè obtinuit: nos quia oculo non cælum amplissimum, sed scopum terram pusillam statuimus, toto cælo erramus. *Ex Surio.*

Nescit vincere vitia corporis, qui deponit cingulum virtutis. Cincti ergo castitatis baltheo, quod est insigne militiae Christianæ, fluxam carnis detruncemus ignaviam, & regis nostri expectatione vigiles, in somnum seculi somnum nesciamus. Pet. Chrysol. serm. 22.

S. EQUITIUS C. 7. Martii.

QUOD paucis datum est, castitatis donū EQVITIVS Angelorum beneficio consecutus est, qui omnem libidinis fomitem auferre à dormiente sunt visi. Qui nosse cupit, quî sibi Angelos tam demeruerit, noverit precibus id fecisse castis, quas si in carnis luctâ cum EQVITIO plures funderent, plures etiam hostem funderent. Cæterum rude donatus miles noster, nihilominus pro castitate sedulus vigilavit. Quare cum Basilium Magum

recipere inter monachos cogere, palam edixit
dæmonem sub monachi larvâ latere, quam illi
tunc detraxit, cum virgo è velatis febrî correpta
unius Basilii opẽ inclamavit. Rectius enim EQVI-
TIVS hanc curavit, Basilio medico extra septa mo-
nasterii ejecto. Alterum dæmonem ex alterâ vir-
gine proscripsit. Sed ille bellè se purgavit, cum
otiosum lactucæ infedisse, & gulosæ dentibus ul-
tro petito se & devoratum dixit, utique levi
manu, quæ crucem duceret, abigendum. Porro
alterum donum ab Angelo tunc tulit, cum lin-
guam ejus hic ferro tetigit, ut jam, etsi vellet, ta-
cere de Deo non posset. Quod tamen sui contem-
ptum in moribus etiam & vestibus præ se ferret,
obstiteri dicenti ad populum Pont. per nuntium
cogitabat. Sed uterque aliter monitus à cælo,
cœptis destitit. Mortuus deinde EQVITIVS tamen
suos à Langobardorum vi defendit. Cum enim hi
trucidandos monachos à tumulo Divi abstrahe-
rent, hostibus hic alios hostes dæmones malos
immisit. Ab his infessi Langobardi obsidionem
scilicet cœnobii solverunt. *Ex Dial. S. Greg. l. I. c. 4.*

*Non debet fidelis anima, qua Angelorum consortia
concupiscit, dæmoniorum lusibus delectari: quicumque
vel est Templum Dei, vel esse desiderat, sollicitè caveat,
ne vana sectando desinens esse templum Dei fiat habi-
tatio tenebrarum, fiat Dæmonis monumentum. S. Max.
de Circumcis.*

S. PHILEMON M. 8. Martii.

Dedit hodie cælo risum PHILEMON, cum ter-
ris tantum pararet nimis doctus mimus.
Apollonius Christianus sacrificare Diis jussus,
cum & scelus facere, & nî faceret, pœnas dare me-
tueret,

tueret, auro PHILEMONEM corrumpit, jubetque ut APOLLONIVM interim induat, dum sacrificet. Ille dum APOLLONIVM veste, vultu gestuque mentitus omnium oculos, & quod mirere, suos adeò fallit, repentè advertit non vestem modò, sed animum etiam Christianum se induisse. Crucis signo (ipse se miratus) armat. Negat damonibus litaturum. Denique jam non agere Christianum, sed esse talis videtur. Nempe furere Apollonium exclamat Præses Arrianus, jubet tibicinem PHILEMONEM adesse, qui mulceret insanientem. Mox re omni intellectâ cachinnum tollit, acclamat, plaudit, bellissimam fabulam multis laudat, nimisque bene simulasse PHILEMONEM Christianam religionem ait. At PHILEMON seriùs jam foccos exuerat, & cothurnos induerat. Quare ad preces ejus tibiæ igne cælesti exustæ; ipse, cum manus admove, & aquam nemo auderet, à cælesti manu è nube aquâ primùm, mox sanguine suo, flagris cæsus, lustratus est. Inde unà cum vero Apollonio trajectis ferro pedibus per urbem raptatus. Ultimò ad arboris truncum religatus, & sagittis impetitus est. Sed hæc omnes vel in aëre steterunt, vel in arborem exerrarunt. Una etiam viam relegit, oculoque judicis Arriani hæsit. Vidit tamen hic etiam, quam antè non viderat, fidei lucem, injecto (contrà quàm fieri amat) in oculum è PHILEMONIS tumulto pulvere. *Ex Metaphr.*

Spirituales pirata metuendi sunt, qui non solum corpora hominum, sed & animas spoliare consueverunt; qui non tam aurum mundi quàm aurum fidei auferre vituntur; qui non tam seculi substantiam, quàm Christi sapientiam depradantur. S. Max. hom. de non timend. host. Carn.

SS. XL. MM. SEBASTENI. 9. Martii.

AMbulaverat per omnes cruciatus impietas, & exhausta tellus nulla jam reliqua tormenta habuit; cum ecce ad aquas, & aërem est itum. Nudi sub frigidissimo cælo XL. Heroes Sebasteni in lacu collocantur gelu rigente. Sed thermas putasses, ita nunquam aliàs major in omnibus ardor eluxit; si unū modò excipias, qui ex Martyre transfuga factus, ad balnea, quæ crudelis impietas, ut virtuti insidias faceret, ponè littus statuerat, sese recepit. Sed invenit ibi continuò mortem, qui vitam quæsierat, victurus, si mortem non fugisset. Interea cælo coronæ XL. delabuntur, & singulorū martyrum capita ambiunt, dumq; unam de custodibus aliquis vacare spectat, nō negligenda regna, quæ cælo venirent, existimans, simul Christianum se clamat, simul in aquas insiliens numerū felicissimum restaurat. Hunc generosum unius saltum omnes tibiis fractis luere: quasi verò in cælum pedum passibus, & non animi iretur. Inde, ut nullum non elementū triumpharent, ad rogam rapiuntur. Sed dum Melithon negligitur natus minimus, ecce tibi mater adest Spartana, sublatumq; in humeros ad cumulum reliquorum asportat, eo animo, ut superesset, unde animos morienti filio adderet. Exuisse hanc alii matrem dicent; ego melius meruisse de filio puto, cum sic ad rogū humeris, quam cum olim utero ad vitam ferret. *Ex S. Bas. hom. 20.*

Vani inspectores sumus, & laudatores improbi, cum Sancti coronantur & accipiunt palmas, eò quòd in agone legitimè certaverint, si non & ipsi pro modulo nostro ad ea pertingere laboramus. S. Hildeph. ser. de assumpt. beatæ Mariæ Virg.

S. FRAN-

S. FRANCISCA ROMANA. 9. Martii.

CÆlum non terram habitasse FRANCISCAM credo. Ita semper aut cælum cum FRANCISCA aut FRANCISCA in cælo fuit. Ægræ medicus D. Alexius astitit; Assisium pergens itineris comitem ipsum Franciscū habuit. Gabriel modò inferos ei, modò cælos monstravit. Tutelaris quoq; cum filio Evangelistâ nuper mortuo superveniens Archangelum se esse prodidit; nempe semper deinde aspectabilem habuit, invidiam Soli etiam sereno facturum. Certè ad ejus vultū recitare VIRGINIS officiū (& recitabat à primis annis quotidie) etiam nocte poterat; ipse concussâ solū cæsarie (fulmina prodire videbantur) orci larvas fugabat. Idē cum perperam aliquid gestū erat, erubescere visus, imò quandoq; subducere se. Semel etiam FRANCISCA, quòd aurem profanis sermonibus licet invita præbisset, pugnū impegit, quem quidē (audaces nos!) etiam cum accersimus prætextata verba, non metuimus. Jam sub ultimos vitæ dies hic nobiliori Angelo locū cessit. Ipsa cæli REGINA sæpe sapius aspectu suo FRANCISCAM recreavit, FILIVMQUE ad amplexus & oscula propinavit. Hic ipse quoties decumbenti assedit, dictisq; animum demulsit, vel mutus solatio futurus? quoties se cibum præbuit? quoties, ut in amantis oculis luderet, in omnes formas se mutavit, & nunc nasci iterum agereque quæ puer egit, nunc pugnas veteres pugnare mortemq; obire iterum, triumphare iterum visus est? Sed & Agnū iterū induere, & ex lateris fonte illud nectar fundere sitienti voluit, quod omnes olim biberemus, nisi mundi lacunas sitiremus. *Ex vitâ.*

Solent Angeli astare orantibus & delectari in his,

quos vident levare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. S. Bern. hom. 3. super Missus.

S. CODRATUS M. 10. Martii.

A Deste & aures advertite, qui matrem, qui ubera matris, & sinum claudis molliculi: suum etiam Superis lac est. Matrem CODRATUS in cunis amisit, neque tamen non molliter est educatus. Etenim nube miraculosâ implicitum Numen fovit, & ambrosiâ scilicet enutrivit delicatum. O pluribus cæli hanc instillate, plures ut CODRATOS habeamus! Nimirum a cælo lactatus cælum sapuit, cælum spiravit CODRATUS, & cæli amore, etsi medicus aliorum prolongaret, suam ipse tamen vitam imò mortem contempsit. Ecce enim verberant crudelem in morem CODRATVM tortores. Aërem, non CODRATVM, verberant. Nunc minas Jason Præfectus, nunc blanditias ingerit & promissa. Surdus est Martyr. Raptatur cum sociis ad supplicii locum. Ad epulum ire sibi visi sunt, atque ut scires, quanto gaudio imbuti, cum cantu ivere, & illo, si iudices vel Cælitum aures rogasses, longè suavissimo. Jam verò cum capite sunt truncati, gaudio demum diceres exsiliisse. Terra quoque applaudens eo in loco, quem sanguine pinxerunt, fontē reddidit, sed qui Christianorum pro Christo mori volentium non pellet, sed accenderet sitim. *Ex Surio.*

Si vis habere ministeria Angelorum, fuge consortia seculi, & tentationibus resiste Diaboli. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. S. Bern. serm. 4. in Ps. Qui habitat.

SS. MAR.

SS. MARTYRES ANTIOCHENÆ.

II. Martii.

ANno partæ salutis CCC. VI. eò furor Imp. Maximini barbarus Antiochiæ pervasit, ut neque famem crudelem extensi per craticulas Christiani lentoque igne assati exsaturare, neque sitim cruentam flumina jam sanguinis possent sedare. Tantum verò abfuit, ut ad hæc exhorresceret Christiana Philosophia, ut sponte suâ (Numine utique invitante) ad mortem per præcipitia & undas ruerent, promptiores ad excipiendam mortem, quàm ad inferendam tyrannus. Inter hos jure suo laudem hodie fert Matrona (Pelagiam Ambrosius dicit) cum filiabus geminis. Hæ Antiochiam ducendæ pulcherrimè se exornarunt, iterque feminæ pede ac animo virili sunt ingressæ. Ex itinere mater non quidem vitæ, sed tamen pudori virginum timere cœpit, non ignara quoties hic ludibrio tyrannis fuisset. Et jam è geminis tyrannis plus puer Amor Maximino terrebat, cum Numen animos addidit, ut è ripâ in subjectum flumen generoso saltu se abjicerent, Venerè in regno suo expugnaturæ. Diu, veluti lusitabundæ choreas ducerent, secundo flumine descenderunt. Tandem haustas inter preces vortex placidè recepit. Corpora undæ neque exanima disjunxerunt, imò ut favere Nymphis nostris scires, vestibus suis quàm decentissimè rectas ad littus exposuerunt, cum littus æternum meliusque dudum animæ tenerent. Ex *Ambros. & Euseb. Chron.*

*Cui in periculis palpitanti & trepidanti invocatum
JESU Nomen non statim fiduciam præstitit, depulit me-
um? Cui in adversis diffidenti jam jamque deficienti,*

si Nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo? S. Bernard.
ferm. 15. sup. Cant.

S. GREGORIUS M. DOCT. ECCL.

12. Martii.

VLtro mendicabilis januæ paterent, sicut in iis CHRISTVM, vel Angelum cerne-
remus. Tales hospites GREGORIUS habuit, & ob
eam pietatem summum Pontificatum tulit. Ad
hunc euectus inter primas curas habuit medici-
nam gregi suo quærere, quem pestilentia totâ pas-
sim Italiâ, sed Romæ potissimum lacerabat. Pla-
cuit, morte tam atrociter grassante, ad MATREM
VIVENTIVM confugere. Hujus proinde effigiem
cum totâ urbe supplicabundus circumtulisset,
Angelum vidit, qui iratum jam diu caputibus en-
sem vaginæ redderet; & aërem noxium purgari
vel inde animadvertit, quòd in eo cælestes voces,
gratantes CÆLI REGINÆ de morte victoriam, au-
diit. Ita servatis domi civibus, foris etiam Chri-
stianum Imperium amplificavit, adjecto Anglo-
rum regno. Libros deinde lucubrare est aggressus,
qui etiam hodie Doctorem suum SPIRITVM S.
probant, quem quidem specie columbæ obvoli-
tantem capiti ejus non unus vidit. Sed & ad pre-
ces illius Angelorum panis in carnem abiit, & hæ-
sitanti femine fidem mysteriorum fecit. Tale co-
lumen Christiani orbis subruere tamen Mauritius
Imp. cogitavit. Sed mox impiæ mortis consilium
morte ipse non unâ luit, toties mortuus prius
quàm moreretur, quot sub securi filios vidit mori.
Ipse idem fatum cum conjugè contra omnium
parentum vota ultimus subiit. GREGORIVM verò
mortuum ferunt anno DC. IV. sed rectius vivere
illum

12. Mart. VITÆ SANCTORVM. 135
illum etiamnum, & immortalem vivere in suis li-
bris dicemus. *Ex Surio.*

*Totis medullis cordium, totis precordiorum affecti-
bus, & votis omnibus MARIAM veneremur, quia sic
est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MA-
RIAM. S. Bern. serm. de Nativ. B. M. V.*

S. ISIDORUS CONF. 12. Martii.

ISIDORVM rusticum virtus nobilitavit. Invidete
vos, quibus honorum titulos vel cunæ alienæ
donarunt, vel nummi turpiter mercati sunt. Quod
si ridere serico cachinno terræ filios lubet, cur non
eodem risu excipitis Angelos, quos ISIDORI vi-
cem, dum hic precatur, sulcare non jam aërem
pennis, sed aratro terram, custodire non jam ho-
mines, sed hominis mulos, & baculo in lupos
pugnare conspiciatis? Nimirum, quorum conspe-
ctum vos horrorem, præsentiam nauteam ducitis,
cum his nobiles cæli cives esse delicias suas pu-
tant; vos hircum interim his oletis; vobis cum
omnia adsunt, omnia desunt; at ISIDORO cum li-
buit, olla pultes dedit, & pauper mensa pauculis
structa, hospites eadem totos pauperum manipu-
los admisit saturosque dimisit. Ite jam & scepro
imperate homunculis timidis. Opilio noster ba-
culo rudi toti naturæ imperat, & nunc aquas jubet
ire, ubi non sunt aquæ; nunc quos vos timetis
morbos, & quam vos fugitis mortem fugat. Vos
generosos terræ vermiculos, ne in prædam cedatis
ignobilioribus vermibus, frustra myrrhæ armant,
frustra balsama propugnant. At ISIDORVM annos
ab obitu CCCC. & L. integrum servavit virtutis
odor, quando laudes illius pleno ore campana æra
suoapte motu impulsa cantarunt. Rectè igitur no-
bilitatem

bilitatem hanc anno M. DC. XXIII. Greg. Pont. Max. Cælitum honoribus condecoravit. Vos quoque qui largo pulmone nequicquam nobiles spiritus spumatis, è viâ cedite; Rusticus noster in cælo etiam reges præit. *Ex actis Canon.*

Si in hac vitâ dolet esse pauperem, & inhonorum, quale est in perpetuâ patriâ de contemptu dolorem, de ignobilitate pœnam, de nuditate opprobrium sustinere: & tunc addici pœnis, quando pauper ducitur ad confessum Dei, & dives trahitur ad supplicium punitorum.
S. Pet. Chryf. serm. 22.

S. THEOPHANES C. 12. Martii.

PATRIA THEOPHANI urbs regia Constantino-
polis, parentes Isacius & Theodota fuerunt,
è principe ambo familiâ. In locum patris demor-
tui ipse Imperator subiit, trimulumque in aulâ suâ
omnibus disciplinis erudiri fecit. Sed animus
etiam his altiora spectabat. Quare cum nuptias,
matre ita volente, effugere non posset, domum
quidem sponsam deduxit: cæterum cum Hyme-
næus in thalamum se penetrare vellet, clausas fo-
res stratumque non sibi sed virginitati reperit.
Nempe sponsæ persuaserat jam, ut alteris nuptiis
virginitatem conjugio copularet. Id verò graviter
tulit socer, ut qui dulce nepotis nomen amabat.
Igitur velut degenerem à patriâ virtute apud Leo-
nem Imperatorem ignaviæ accusavit THEOPHA-
NEM. Idemque, nî vestigiis Majorum insisteret,
oculos effossurum se minitatus, ut vinctum mun-
do teneret (nam solitudinem cogitabat) novis ho-
norum dignitatibus oneravit. Sed mortuo Leone,
cum rectius Irene mulier Imperium administra-
ret, THEOPHANES inter Monachos, conjux inter
Virgines

13. Mart. VITÆ SANCTORVM. 137
Virgines velatas se abdidit. Fugit tamen ille Ab-
batis honores, ne in alteros scopulos vix subdu-
ctam ratem impelleret. Post hæc Synodi Nicænæ
pars magna fuit. Sed & Leoni alteri Iconomacho
fortiter se opposuit. Neque hic virum aut carceris
obsidione aut fame longâ expugnare potuit. Vi-
ctor igitur THEOPHANES cælum subiit, duxitque
in triumpho duo ingentia monstra, Leones duos.
Ex Surio.

*Perspice ô homo quantum valeas, & perpende quan-
tum debeas; ut tandem tibi vilis esse desinas, ut vel per
hoc erubescendis subjacere vitiis dedigneris, dum gene-
rositatem tuam de Creatoris ac Redemptoris dignitate
metiris.* S. Maxim. hom. i. de Resurr.

S. EUPHRASIA V. 13. Martii.

NON facile ulla alia Virgo splendorem generis
sui, ut EUPHRASIA novit æstimare; quippe
quæ alios quantumvis nobiles toros alto animo
despexit omnes, unum CHRISTI ambitiosa expe-
tiit. Fortè in hunc fixum cruci oculos defixerat;
cùm, ut amor facilè omnia sibi fingit, quæ arri-
dent, passis brachiis amplexum offerri sibi inter-
preterata illico in crucem involavit, & amatum
complexa etiam ipsa, æternùm illi suos amores
devovit; quin mox futurarum nuptiarum flam-
meum inter sacras Virgines accepit. Interea literæ
adsunt à Theodosio Imp. quem sanguine contin-
gebat. Is quòd quinquennem Ordinis Senatorii
Principi viro desponderat, jubebat nunc in ejus
manus venire EUPHRASIAM. Sed pulchrè illa se
jam in alterius manus venisse rescripsit, nec ex re
suâ, nec verò ex familiæ dignitate fore, immortali
sponso mortalem antepone. Itaque jam liberè
amori

amori suo vacans, sub dio cibi suiq̄ue aliquando in trigesimum diem, sæpius in septimum oblita, ab inferno rivali in puteum præceps acta, ferventi perfusa, aliaq̄ue perpeffa, cū satis jam Sponfo se probaffet, ad nuptias est evocata. Illas splendidiffimè adornari vidit in cælo, quæ Asceterio Magiftra præerat, eoq̄ue abductam EUPHRASIAM à Sponfi MATRE corollâ nuptiali, & dote in singulas virtutes donari. Quis jam dubitet pulchram EUPHRASIAM fuiffe, quam tanto studio matrum longè pulcherrima multò pulcherrimo filio conciliabat? *Ex Surio.*

Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus fit, qui tanti estimavit, inò qui tantum te fecit: De latere enim suo te reformavit, quando propter te obdormivit in Cruce, & somnum mortis excepit. S. Bern. ferm. 2. de Mur. Aquæ in Vin.

B. HENRICUS CONF. 13. Martii.

NON ablufit indoles HENRICI à ftirpe fuâ. Regius puer mammæ & matris, & mundi lallare generofus recusavit, & ad magni Francifci ubera, vulnera, animum appulit. Interea parente mortuo Daniæ Rege, viduum regni fceptrum & corona caput HENRICI & manum ipfa ambiebat, ingerebant hæc regni proceres, fponfa invitabat, & denique mater impellebat. Per tot tamen obftacula evadit HENRICVS in folitudines, fuusq̄ue ipfe Rex fibi imperat. Sed honor, quò nemo alius fugitivos citiùsprehendit, HENRICVM quoque in fuis latebris invenit, gemmeifq̄ue vinculis ligatum cum publicâ regni lætitiâ ad folium reducit. At mater, (quis credat?) illa mater, quæ nuper amore filium deperibat, in novercam ecce abit, & , five quòd impe-

imperandi dulcedine capta, socium regni nec filium vellet, sive quòd filii vultum jam minimè HENRICVS præ se ferret (austerà vivendi ratio deformarat) in rogum hunc conjicit. Induit tamen, quam mater exuit, ignis pietatem, & incolumentem reddidit, pulchrius inter flammâs quàm purpuram splendentem. Minus verò jam fidendum regno videns, in Italiam religionis causâ contendit. sed mors aliò ex itinere abduxit. In cælum ubi venit, hoc denique ei regnum placuit. *Ex Ferrar.*

Descendamus per viam humilitatis, ponaturq; nobis primus gradus ejus, id est primus profectus, Nolle dominari: secundus, Velle subjici: Tertius, in ipsa subjectione quaslibet contumelias & injurias illatas equanimiter Pati. S. Bern. in sent.

S. PETRUS ABBAS. 14. Martii.

QUàm Alites beati familiares PETRO, & PETRVS vicissim illis fuerit, ex iis quæ narrabimus, perspicies. Tyro in religiosâ Claræ Vallis disciplinâ cum esset, obdormiscentis inter preces Matutinas latus vellicavit Ales unus aliquis ex illis, de quibus diximus, gratissimus PETRO monitor. Aliàs cum avocante capitis dolore à sociis abutum è templo pararet, illa repentè verba à Cæli choraulis cani audivit: *Laudans invocabo DEVM*, atque his voculis delinitus, facilè dolorum oblitus est, perrexitque etiam ipse cœptas preces decantare, etsi inter olores illos non malè anserem se putaret. Illud amœnissimum spectaculum oculis PETRI accidit, videre, cum messis tempore labori cum suis intentus esset, Virginum Reginam MARIAM geminâ altera Maria (è Solymis altera, altera ex Ægypto erat) per segetes ambulare, sociisque

cuiusque & laborantibus solamen addere, & fatigaris sudorem abstergere illâ manu, quâ, cum lubet, nubes abstergit, & cælum serenat. Certè tanti esse PETRVS credidit VIRGINEM vidisse, ut cum ex ægritudine alterum deinde oculorum amisisset, minimè ægrè hoc ferret, memor, in quali oculo oculum suum abscondisset. Imò gratulatus sibi luscus est, è duobus hostibus (sic enim ille oculos indigitabat) unum saltem amisisse. Lubens igitur etiam alterū beatâ morte clausit. *Ex Petro de Natal.*

Reverà illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura sed de Creatore concipitur, cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est; omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò quodcunque aliud delectare potest, molestum. S. Bern. in Epist.

S. LONGINUS M. 15. Martii.

LONGINVM ajunt Centurionem ejus cohortis fuisse, quæ Servatori, & è cruce pendentis, & tumulo condito, custodiæ causâ fuit addita; Eundem lanceâ latus hausisse sacratissimum, geminosque amoris fontes sanguinis & aquæ nobis dedisse, auctori etiam suo salutare, quippe cujus oculis medicinam fecisse liquor illapsus memoratur. Id certè nemo negaverit tot miraculorum spectatori mentis oculos apertos esse, & cum facinus jam suum, ac Judæorum videret, pectus planxisse, & testimonium divinitatis Crucifixo dedisse. Id cum & tunc & in publico post concilio fecisset, odiumque ingens sibi conflasset, Capadociam gemino cum comite petiit. Sed & invidia comes ivit Judæorum, & missi à Pilato, qui caput LONGINI referrent. In hos dum fortè offendit,

16. Ma
fendit
habet
LONG
frang
LONG
vestes
Pilato
tum ab
ut sep
matro
tum th
reperi
Don
erga m
me pass
tra prop
re refu
mine la

A B
p
cenda
do se
initiat
quàm
Sub ha
ris, me
cum f
luta, c
cælo i
& scop
nitus e
rictu c

findit, ipse cognitos incognitus domo excipit
 habetque perliberaliter. Postridie LONGINVS
 LONGINVM prodit, mirante & tesseram hospitii
 frangere ipso hoste renuente. Sed animos addit
 LONGINVS, jamque Martyrū purpuram ambiens
 vestes candidas induit, animamque cælo, caput
 Pilato dat ferendum. Hic nobile spoliū in fime-
 tum abjecit. Prodidit tamen iterum se Divus, &
 ut sepulchro caput cum filii cadavere conderet,
 matronam oculis destitutam monuit. Itaque tan-
 tum thesaurum reperit cæca. Sed & oculos unā
 reperit. *Ex Metaphr. & vitā Christi Germ.*

*Dominus meus JESVS, post cetera inestimabilis sua
 erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter
 me passus est latus fodi; quod videlicet non nisi de dex-
 tra propinare mihi vellet, non nisi in dextra locum para-
 re refugii; utinam merear esse columba, qua in fora-
 mine lateris dextri habitat! S. Bern. serm. 7. Qui hab.*

S. ABRAMIUS ER. 16. Martii.

ABRAMIUS nobili loco natus, ipso festo nu-
 ptiarum suarum die, cum domum sponsa dū-
 cenda esset, damnato thalamo, & sponsæ & mun-
 do se subducens, in loca sola aufugit. Inde sacris
 initiatus, efferam gentem longā patientiā, & supra
 quam credi potest, magno labore Christo subegit.
 Sub hæc Maria neptis ex fratre, quam ille à tene-
 ris, moribus optimis ac summā pietate imbuerat,
 cum semel lapsa esset, per omnia deinde vitia vo-
 luta, ex eremo demum in mundum (hoc est ex
 cælo in orcum) præceps ivit. Jam publica infamia
 & scopulus audiebat castitatis, cum ostento divi-
 nitus objecto ABRAMIUS draconem vidit immani
 rictu columbam incautam deglutire, qui tamen

MOX

mox medius ruptus aëri & libertati pavidam redderet. Hoc viso animatus, cum & fugam lapsæ, & reditum resipiscens non malus vates ominatus esset, ingenium ecce exerit, & id ætatis senex militem induit atque urbem petit. Hic qui L. ipsos annos vinum nec libaverat, convivium instruit, mensæ neptem adhibet, quæque ad hilaritatem faciunt, omnia facit pius auceps. Mox tamen captatâ in tempore occasione, quis sit, aperit, cur venerit, exponit. Tum verò verbis Deo plenis aggredditur, & primò mirari, deinde nutare, tum cedere, demum manus dare Mariam cogit. quid multis? ad columbaria Eremitæ reducit. Quid ibi, ais, columba capta? nempe gemuit. *Ex vitis PP.*

Deus ob ineffabilem misericordiam, Crucem propter nos sustinuit; cur non & nos erga proximos iusti simus, & agnoscentes eos ut membra nostra & eripientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis reducamus? S. Chryf. in Gen. hom. 3.

B. TORRELLUS C. 16. Martii.

PETrum videre te alterum puta, cum TORRELLUM vides. Nam & hic forte fortunâ gallum in humeros involantem, tertioque cantantem audivit, flevit, resipuit, & ex Veneris, cui meliorem ætatem devoverat, mancipio cæli delictum factus, quidquid pauculis annis in urbe peccavit, LX. omnino annis inter silvas damnavit. In his civium illi frequentia arbores, tectum cælum, vestitus fetosum porci corium, arma, quibus in se utebatur, catena ferrea, diliciæ panis & fons, cubile terra, plumæ sarmenta, cervical lapis fuere. Sic quoque non nisi tres horas somno, reliquum omnino noctis lacrimis transcripsit, tunc etiam credo a gallo

gallo expergefactus. Veneris flammam vel vepribus suffocavit, vel gelidâ extinxit. Sportulam lautam unctamque cum Papiensis Comes in Bacchanalia submisisset, hospiti eam servaturum se promisit; is ursus fuit, qui è manu Divi cœnavit, dignissimus Bacchanalibus hospes. Atque huic prædam cum lubens volens concessit, sed non perinde lupo puerum. Eripuit enim hunc, pœnamque lupis omnibus illic morantibus exilium indixit. Atque hoc est, cur exuli Senensi (cui reditum in patriam impetravit cælo jam receptus) cum Divi effigiem penes se habere hic percuperet, visendum se cum lupo gremium premente præbuerit. Porro TORRELLVS moriturus Angelum habuit monitorem. Scio habere eum tu quoque percuperes. Et verò nisi aures claudis, hodie habes. *Ex Ferrar. & Chron. Min.*

Væ tibi, qui post lapsum fortiolem te nobis exhibes! Ut quid tam rigidus es in tuam ipsius perniciem? Inclinare potius, ut melius erigaris, & ne prohibeas frangi, quod distortum est, ut possit melius solidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potius indignare. S. Bern. in F. S. S. Pet. & Pauli.

S. HERIBERTUS EP. 16. Martii.

SPLENDOREM D. HERIBERTI, quo sive in aulâ OTTON. Imp. III. sive Pontificatu deinde Coloniensi conspicuum orbi se fecit, indicavit ingens, quæ matrem parientem lux ambivit. Illustriorem fecerunt radii, qui precantem persæpè cinxerunt, aliæque cum admiratione facta. Et fortè cælum imbres suos terris subduxerat, cum ecce HERIBERTVS, supplex ad Divorum pulvinaria factus, vix oculis pluit, cum cælo DEVS. Tunc etiam euntem

euntem columba comitari visa est, & ad extremum in cælos sublimis abire. Eò per infima quæque munera charitatis tendere HERIBERTVS. Itaque pauperulæ filium ipse sacro fonte voluit mergere, alterum tollere mersum, pauperisque cœnæ eo die conviva esse, docturus nostram aetatem, parvo (si velint) opsonare etiam infulas posse. Jam monasterio construendo cum locum circumspiceret, hunc Deipara ipsa signavit, ut viderent Mariani, quæ maximè ædificia VIRGO probaret. Sub hæc cum infensus HERIBERTO S. Henr. Imp. esset, castigatus à cælo non dubitavit cum hostili animo purpuram exuere, & ad ipsos Pontificis pedes descendere, veniam osculis lacrimisque rogantibus. Jam moriturus hic heredes scripsit (adeste testamento Pontifices) fratres suos, non quos caro sed pauper Christus germanos fecerat, quosque ille non fratres modò dicere, sed Dominos etiam est solitus. Tum demum in cælum abiit, non aberraturus, quia & Divorum choros obvios habuit, & columba illi jam olim viam monstravit. *Ex Surio.*

Manus pauperis est Gazophylacium Christi; Da ergo homo pauperi terram, ut accipias calum: da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut des tibi; quia quicquid pauperi dederis, tu habebis, quod non dederis, habebit alter. S. Petri Chryl. ferm. 8.

S. PATRICIUS EP. 17. Martii.

PATRICIUS puer servitute servit Hibernis, magno horum bono: è servitute enim dominos suos servus eripuit. Id hoc modo factum. Parvulum è Musarum sinu latrunculi in Hiberniam abduxit.

abduxerunt. Ibi sues pascere iussus est nobilis pu-
 fio. Agnosceres sanè margaritam ad pedes porco-
 rum abjectam. Cæterùm è scrobe, quem potci fe-
 cerant, lytrum egerere Angelus iussit. Ergo in pa-
 triam redux in disciplinam SS. Martini & Germa-
 ni Antisiodorensis se dedit. Post hæc, ut Hibernos
 Christo adjungeret, suaserunt somnia, in quibus
 & accipere ex Hiberniâ epistolas supplices, &
 necdum natorum Hibernorum voces plorantium
 opem audire sibi videbatur. Euntem igitur in pro-
 vinciam suam, infulâ Cælestinus Pont. donavit.
 Anachoretas baculo, quem, quòd ex manu JESV
 accepisset, iussusque PATRICIO dare fuisset, ab
 eodem, JESV baculum dixit. Ita armatus in Hi-
 berniam venit, & æquis auribus tam diu auditus à
 pluribus est, quoad de inferorum suppliciis dicere
 cœpit. Hæc enim, velut fabella, risu excepta. At
 PATRICIUS locum, ubi dicebat, scipione suo cum
 signasset, amplum terræ hiatus aperuit, iussitque
 non fictis vocibus inferos ipsos concionari. Tunc
 verò inferos esse inferis creditum est, locusque is
 Purgatorium PATRICII appellatus, qui cum om-
 nem eam gentem in libertatem filiorum DEI as-
 seruisset, annos natos C. XXII. ex corpore, alterâ
 servitute, abiit. Pilei loco Superi coronam dona-
 runt. *Ex Lippeloo & Pet. de Natal.*

*Propterea rectum fecit Deus hominem etiam corpore
 ipso, & os homini sublime dedit, cum prona utique spe-
 ctent animantia cætera terram; ut attollens ad sidera
 vultus illico suspiret, ubi tam beatam & perennem con-
 spicit mansionem. S. Bern. serm. de S. Mart.*

G

S. GER-

S. GERTRUDIS V. 17. Martii.

GERTRVDEM quoque ob sanguinem, quem nobilissimum inter Gallos habebat, sancte superbam vidisses. Quare cum eam juvenis (cuius princeps & ipse familiam) sponsam sibi à parente Pipino peteret, ipsumque adeò Regem Dagobertum, qui tum fortè epulo hospes aderat, oratorem haberet, contempsit tamen mortalem sponsum GERTRVDIS, & jurejurando palàm firmavit, non nisi immortalis nupturam se, nec aliam dotem præter cælum admissuram. In has deinde leges à morte Pipini Virginem D. Amandus Christo despondit. Mox cæli prodigia castissimam sponsam honorarunt. Nam præcantè ignea & è cælo delapsa sphaera visa est coronare, & ejus ope servati nautæ à mortis periculo, quod immanis cetus jam jam minabatur. Sed vel nomen GERTRVDIS pro scuto fuit, merisitque subitò, quod navim jam mergere videbatur, monstrum. Jam diem ultimum, quem quidem ut nuptialem GERTRVDIS amavit, monachus illi prædixit Ultanus, com meatum è cælo D. Petritium, & beatos Angelos sponndit. Virtutis odorem etiam à morte tumba, quam longè ante fieri ipsa mandaverat, suavissimum spiravit. Ipsa ne vivere etiam mortuam dubitares, diversorum oculis se objecit cælesti luce circumfusa. Visi etiam ignes grassantes à monasterio illo vel avertere, quo impuras olim flammæ suffocaverat. Tam facillè etiam indomitum Vulcanum est vincere illi, qui Venerem vicit. *Ex Surio.*

Qui Christum videre querit, cælum, unde Christus est, non terram, de qua aurum est, intueatur. Dives, qui sursum est, non portat sed proculcat divitias, nec incipit vati-

18. Mart. VITÆ SANCTORVM. 147
vatur divitiis, sed levatur. Divitiarum servus, non do-
minus est avarus: at misericors tot servos habet, quos
nummos. S. Pet. Chryf. serm. 4.

S. EDUARDUS M. 18. Martii.

Sustulerat Edgarus Angliæ Rex binos filios: ex
Selfedâ, lectissimâ matronâ, EDUARDUM no-
strum: ex Elfridâ improbissimâ muliere, Ethelre-
dum. Illi utpote natu majori regnum Edgarus, &
quæ major regno hereditas est, virtutem reliquit.
Non hanc, sed illud invidit noverca improba, &
quò purpuram Ethelredo suo pingeret, sanguinem
statuit EDUARDI fundere; quin si fieri aliter jam
non posset, cum diademate caput auferre. Com-
modum impiis consiliis accidit, ut quarto regni
sui anno illic venaretur EDUARDVS, ubi pessima
fera noverca stabulabatur. Nimirum hæc venatori
laqueos ponit. rogat tectis hospes filius succedat.
Abnuentem, haustum certè è manibus parentis
accipiat, obtestatur. Heu! ut nunquam magis odit
noverca, quam dum amat! Dum bibit, subornatus
ad scelus servulus, cultro necem domino fert, vi-
numque sanguine miscuit; corpus exanime in
proximâ casâ occultatum: sed scelus Elfridæ una-
que virtutem EDUARDI prodidit etiam in nocte
lux insolita, casam omnem illustrans, lucemque
adeò mulierculæ inhabitantis oculis ferens, quam
nunquam prius videre. Iterum in paludes abje-
ctum cælum ostendit indice columnâ igneâ. Ergo
extractum omni que honore tumultatum Martyris
corpus fontem prope dedit, ex quo passim sanita-
tem ægri bibebant. Noverca etiam veniam ora-
tura illuc contendit, sed neque eques; neque pe-
des progredi unquam potuit, semper vi, nescio

quâ, arcanâ repulsa. Dixisses neque supplici noceræ jam manes fidere. *Ex Surio.*

Plantare pacem radicibus, Dei est: evellere penitus inimici. Nam sicut amor Fraternitatis ex Deo est; ita odium ex Diabolo: quapropter dammanda sunt odia, quoniam scriptum est, qui odit fratrem suum, homicida est. S. Pet. Chryf. ferm. 53.

S. JOSEPHUS SPONSUS B. M. V.

19. Martii.

Compendium laudum JOSEPHI dederò, si convixisse JESU & MARIÆ dixero; huic Sponsum integerrimum, illi nutritorem sedulum. Arcanorum ergo conscius omnium, multa gavisus est gaudia, multa dolenda doluit. Utraq; VII. fuisse binis è D. Francisci cœtu ipse voluit manifestum. Et gaudio quidem primus omnium delinivit animum nuntius, quo non nisi DEO plenam MARIAM intellexerat: tum deinde aures recrearunt ad cunas magni infantis choraulæ nobiles; sed longè demulsit suavius nomen, quod ipse indidit, dulcissimum. Jam vaticinia Simeonis, quæ Servatorem puerum; dejecta in Ægypto simulachra Dæmonum, quæ DEVM loquebantur, & Angelus, qui in patriam exules revocabat, aliis atque aliis gaudiis cumularunt. Illud demum deliciis inundavit, cum quod charissimum habuit pignus, amissum reperit. Et hæc gaudiorum materia; illa dolorum fuere: tristis primò, quem à VIRGINE parabat, secessus; tum pauperes cunæ, & prima, quæ imbribus prælusit, sanguinis pluvia; mox gladius Simeonis, cor Sponsæ non nisi per præcordia Sponsi petiturus; post fuga præproperea & Archelai tyrannis; demum amissa in uno Puerò omnia

bona;

bona; hæc inquam, tot mœroris argumenta, quor
antè lætitiæ, dubiam utrinque victoriam fecere.
Ego, si fas sit, octavum & dolorem & gaudium
addidero, mortē inter JESU ac MARIÆ amplexus.
Quid enim acerbius, quàm hos ex oculis dimit-
tere? quid dulcius, quàm ab his oculos claudi?
Ex lib. 3. Carthag.

*Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis ob-
temperare: Erubescere superbe cinis: Deus se humiliat, &
tu te exaltas; Deus se hominibus subdit, & tu dominari
gestiens hominibus, tuo te præponis Auctori. S. Bern.
hom. 1. super Missus.*

S. PANCHARIUS M. 19. Martii.

Nemo, ô juvenis! nemo rectè duobus Domi-
nis unus servit. Nempe duos nec amabis, nec
amaberis à duobus. Si fidem Christo non habes,
ah saltem tibi habe, juventutis habe Principi PAN-
CHARIO. Quid non huic nomen suum promisit?
unus Diocletiani furor, qui patriam infestabat,
terrebat. Ergo Romam itur. Ah PANCHARI se-
queris, non fugis hostem! Aula tamen accipit, opes
stipant, honores aulæ Præfectum salutant, ipse
Diocletianus amat. Fidem juro PANCHARI, odit
tyrannus qui amat. Eheu! vates fui, blanditiis ex-
pugnatur cereus animus, & dum fidus regi laborat
esse, cælo fit perfidus, Christum, prò! cum Jove
mutat. Ite nunc aulæ mancipia, ite Principes, fi-
dem aulæ habete utrique, quæ fidem frangit DEO.
Nunquid rectè iterum illud clamabo: *Exeat aulâ,
qui pius esse cupit?* Exit ecce PANCHARIUS aulâ, à
matre & sorore Christianis castigatus, & pius est
iterum, iterum Christum amplectitur, Jovemque
damnat, spectante & audiente Diocletiano. Fuit

hic & verberibus sævit. Hæc tu PANCHARI, amoris divini in te principia crede. In theatrum abriperis: Spectatores Superos habebis. Exul Nico-mediam abduceris. Gaude vel sic aulâ exiisse. Securi feriunt; sanguini innatas. O factum bene! hanc demum purpuram altera, ad quam tendis, Aula probat. *Ex Menæis.*

Sapientia est in pœnitudine peccatorũ, in contemptu præsentium commodorum, in desiderio futurorum præmiorum. Invenisti sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si sæculi desideria parvipendas, si æternâ beatitudinẽ toto desiderio concupiscas. S. Bern. l. i. de Consol.

S. SIBYLLINA V. 19. Martii.

NATA SIBYLLINA Papiæ in Biscofsâ nobili familiâ D. Dominici tertium Ordinem nobilitavit. A teneris scelus ingens credidit esse, quem sibi horarum Canonicarum vicem numerum precum præfixerat, vel semel omittere. Loco solo cum se inclusisset, non nisi semel ad Virginem velatam, semel epulo Eucharistico reficienda sponse obviam processit. Gaudiis tunc inundabat, cum sanguini, quem ipsa flagris septem annis quotidie fundebat. Pudorem unicâ veste & contra æstum & frigora tegebat. Nudo indormiebat ligno, suavissimo castitati thalamo. Annum XII. egressa cum oculos corporis amisisset, animi invenit, & D. Dominicum manifestâ in luce conspicuum habuit, tantis gaudiis delibuta, ut jam nollet non fuisse cæca. Et verò quis unquam plura vel Arguidit, quando longè pòst futura vidit, prædixit, conscios lethalis noxæ animos inspexit; è ligno quo Christus pependit, reliquias, cordis tactu veras esse pervidit, eoque oculis jam penetravit, ut

20. Martii.
quo C
spicer
ctacu
die f
Deni
fione
an n
Enim
rius a
Pr
ctatio
atern
ut pa
ram.

S.

IOA
tri
eger
fami
calu
que
tant
tule
can
ver
sup
nat
seru
tem
my
lion
lian

quo Christus sub panis orbe, quo non lateret, perspiceret. Sed illa oculis carenti jucundissima spectacula fuere: videre non semel festo Pentecostes die sacrum Pneuma supra caput suum descendere. Denique cum precabunda beatissimum illum pusionem JESVM, illum illum solem potuit intueri, an non oculos habuisse jam probos putemus? Enimverò si oculis tunc non vidit, at certè charius aliquid oculis vidit. *Ex tom. 14. Bzovii.*

Præoccupatum secularibus desideriis animum delatatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, aterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis; ut pariter sapius qua sursum sunt, & qua super terram. S. Bern. hom. 5. de Ascens.

S. JOACHIMUS PATER B. M. V.

20. Martii.

JOACHIMVS è regiâ Davidis stirpe affem suum trifariam divisit. Partem templo sacram, alteram egenis & peregrinis communem, ultimam sibi & familiæ voluit reliquam, testamento, quod vel cælum probavit. Nam cum in ipsam senectam usque sine hærede vixisset (probrio id ætatis ac loci tanto, ut cum sacrificio suo etiam repulsam ab arâ tulerit) precibus suis apud Numen hoc questus, candidissimum nuntium certæ prolis accepit. Et verò spem ipse etiam rei eventus longè maximè superavit. Nata enim MARIA, & cum MARIA renatus orbis est. Et pensavit profectò partus tam ferus, quidquid morarum traxerat. Potuit ignosci tempori tam magna parturienti: potuit JOACHIMVS hæc unâ filiâ beatus ridere populos alios filiorum. Proinde officium patris facturum, cælo filiam, cui debebat, vix trimulâ dicat, & templo jam

tum ancillam facrat, nullam cum hoc sacrificio repulsam ab arâ extimescens. Ipse certus de Servatore sinum Abrahæ petit, inde paucis pòst annis triumphantem CHRISTVM OVANS sequitur in cæli arces. Ibi ille olim sterilis senex omnium parentum gloriam nunc exæquat. Summa ejus est, genuisse talem filiam, quæ talem illi nepotem peperit. *Ex S. Io. Damasc. l. 4. de Fide Orth. & orat. de Nat. Maria.*

Si primò non exaudiris, ab oratione non deficias; imò precibus & clamori insistas; vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit, Regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. S. Greg. in psalm. 6. Pœnit.

S. CUTHBERTUS EP. 20. Martii.

EXultabat puer CUTHBERTVS insolentiùs inter æquales suos, victor cum omnibus aliis in ludis, tum in luctâ præcipuè. Interea puero Pædagogum submitit cælum trium annorũ pusionem, qui gravibus verbis castigavit leviculum, jussitque mores assumere, qui infulam, quâ olim insigniendus esset, exornarent. Et audit CUTHBERTVS Deum in infante loquentem, & jam tum abire ad partes religiosorum hominum cogitavit, quod ut posset faciliùs, ægrotantis genu Medicus Angelus, equo candido insignis, curavit. Homines deinde ut pascere olim sciret, pascere pecora instituit, & vigil inter preces in illustri nocte Aidanum Episcopum cælo vidit subire. Posthæc inter Religiosos cum hospitem curam haberet, inter hos aliquando Angelum numeravit. Nocturnas Veneris faces sæpius rigentibus aquis mersus collo tenuis extinxit. Episcopus Lindisfarnensis, altero statim

20. Mart.

VITÆ SANCTORVM.

153

statim anno libentiùs infulam posuit, quàm sumpsit. Mira quæ patravit plurima alia narrant, & inter hæc feras abactas à pascuis, ab agris aves, ex corporibus tortores dæmonas, corpus quoque ejus post annos quadringentos decemque & octo integrum mirantur. At me iudice majus miraculum tu facies juvenus, si vel pauculos illos annos, quibus vives, integrum corpusculum servabis. *Ex Bedâ.*

O quàm compositum reddit omnem corporis statum, nec non & mentis habitum disciplina! cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, gulam frenat, iram sedat, format incessum. S. Bern. in Ep. ad Soph. V.

S. WULPHRANNUS EP. 20. Martii.

WULPHRANNUS est Senonum Pont. idemque Frisiorum Apostolus. Ad hos cum mari contenderet, & Ministro sacer calicis orbis imprudenti in undas excidisset, jussit brachium hunc in aquas tendere. Tendenti continuo orbis, spectatores Christo adhæserunt. Morem vel Gente suâ barbarum magis, quo victima Dñs improbis juvenus innocens cadebat, non uno miraculo antiquavit. Nam & suspensum puerum à laqueo absolvit, &, ut geminis aliis, qui mari exæstuanti præda expositi fuerunt, succurreret, sicco pede undas perambulavit, & dextrâ hunc, illum sinistrâ molliter prehenso ad litus eduxit, mox meliore aquâ, & Christiano ex more merfos matri restituit incolumes. Atque his miris filium etiam Ductis Radbodi ad Christum pertaxit, sed non Radbodum ipsum. Nimirum jam sacris undis etiam iste admo vendus, cum ex WULPHRANNO intellexisset, Majores suos, Ducesque Frisonum omnes

G 5

(qui

(qui quidem superstitioni dediti fuissent) inferis damnatos esse, exclamavit improbo joco, malle se cum pluribus & Majoribus suis etiam apud inferos, quàm sine his, & cum pauculis aliis apud Superos degere. In hâc sententiâ ludibria dæmonis mali firmarunt, qui aureos illi montes, certè aurea palatia pollicitus est. Et jam iverat legatus à Radbodo missus, qui Deorum munera inspiceret: jam inspecta probaverat oculus fascinatus, cum socius, quem *WVLPHRANNVS* addidit, vana ædificia unico signo crucis omnia destruxit. Radbodus intereà prius, quàm nuntii redirent, ad illos suos plures abiit. *Ex Lippeloo.*

Renovetur cor à carnalibus desideriis, ut exclusis illis introducatur amor Dei & amor patriæ celestis: recedant ab ore arrogantia & derogatio, & succedant peccatorum confessio & bona de proximis æstimatio; assumatur continentia & innocentia, ut contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. S. Bern. sent.

B. AMBROSIUS SANSEDONIUS C.
20. Martii.

SENIS ORTUS AMBROSIVS SANSEDONIUS natalem noctem communem cum D. Thoma & Jacobo Mevaniensi habuit. Eam ne candidam orbis dubitaret, tergemina calculo suo Luna notavit; manè deinde vox probavit pueruli *ad scholas, ad scholas* conclamantis, qui quidem causam clamoris rogatus, tres Principes Doctores natos respondit. Porro AMBROSIVS infans manibus captus pedibusque ea vincula in æde D. Dominici rupit. Viros Religiosos in nutricum brachiis risu salutabat, nec alio magis quàm imaginum aspectu delectabatur, profanas longè repellens, sacras osculis

21. Mart.

VITA SANCTORVM.

155

osculis fatigans. Jam septennis VIRGINIS officium quotidie solitus est persolvere: novennis verò jejunia pane & aquâ sancta habere: insuper quot hebdomadis, die MATRI VIRGINI dicato, V. egētes hospitio excipere, ut illud etiam Angeli ambirent, & modulos suos adderent. Fugam è mundo meditati, & declinanti, nescio quod, epulum geniale, Proteus Orci eremicolam mentitus suadere cœpit, primam ætatē suo exemplo voluptati libaret, senectutem DEO litaret. At improbum consilianium AMBROSIVS signo crucis pepulit. Jamque D. Dominici, jam Alb. M. discipulus, mox ipse Doctor sacrarum literarum Lutetiæ, tum Coloniae fuit. Atque ut sciremus unde doctrinam suam haberet, visa est palam Divina columba in aures loqui AMBROSIO, quæ ille ad concionem clamaret. *Ex Ann. Dominic.*

O seculum nequam, quod tuos sic soles beare amicos, ut Dei facias inimicos! planè enim qui amicus esse vult tuus, inimicus Dei consiuitur: Amicus itaque mundi, excluditur à consilio amicorum Dei. S. Bern. in Epist.

S. BENEDICTUS ABBAS. 21. Martii.

BENEDICTVS puer ludum cum eremo mutavit, satis jam magnus philosophus, qui terrena contemnere didicerat. Ibi multò post malus Orci pullus merulam mentitus, ingens sub animo libidinis incendium excitavit: sed ille nudus in spinas abjectus sanguine id extinxit; ut quando Poëtæ rosas olim omnes candidas volunt fuisse, ex his spinis primum credam erubuisse. Secundum hæc cum socios legeret, multa admiratione digna fecit, multa passus est. Illud lepidum etiam memoratu. Discipulum, qui a divinis ante finem subducere

ducere se amabat, attentioribus oculis arbitratus, vidit à Stygii coloris nano vestis orá prehensum e templo trahi. Castigavit virgis vagum, & ecce parvulus etiam ille è Styge Maurus tergum, ne virgis daret, fugæ dedit. At BENEDICTVS castra sanctissima in monte Cassinate locavit: illic everfo Apollinis fano, postquàm veriora cum aliis multis, tum Totilæ imprimis oracula dedisset, famâ, & discipulis orbem impleffet, sibi etiam denique vates sepulchrum parari jussit, & inter suorum manus, ut Ducem decebat, stans oppetiit. Mox duo Magistrū capere viderunt in cælos viam, amplam illam & veste pulcherrimâ stratam, multiſque luminibus coruscantem. Eam tunc nescio quis Cælitum viam Benedicti; D. Bernardus illius leges dixit; ut jam mirum non sit, si eandem tot Pontifices & Reges calcarunt. Nam viam ad cælum expeditam & jucundam quærebant, vel mundo Doctore. Ex S. Greg. M.

Illud Sathana opus est, ut cogitationes orantis in infinita jaculetur, nec sinat hominē in ea persistere postulatione, quam impetrare contendit. Novit quippe, quòd si perseveret deprecans, exaudiet eum, qui fecit illum, et si innumerabilia peccata admisit. S. Ephrem in Pan.

S. CATHARINA SUECA V. 22. Martii.

INfans CATHARINA respuit impurarum nutrimentum ubera, castarum ambiit, Veneris jam in cunis hostis. Puella pupas tractavit; sed cum pupas induti dæmones verberarent dormientem, etiam has sibi Venerem jussit habere. Viro nupta dotem virginitatem attulit, & arrham virginitatem vicissim ab ipso accepit; quæ ut tuta in thalamo etiam dormiret, humi hunc stravit, vilibusque panni-

panniculis, licet è principe familiã esset, involvit. Quæ virtus ita cæli Reginam cepit, ut vultu blandissimo CATHARINAM intueri sit visa, at torvis oculis socrum, quòd vestium luxum hæc amaret. Interim cemonibus CATHARINÆ DEVS purpuræ splendorem non semel addidit. Romæ cum ageret, pudicitix custodem B. Sebastianum sibi legit, opemque sæpius ejus præsentem sensit. Gravius nihil aggressa est vel facere ipsa vel alteri suadere, quàm VIRGINEM Angeli verbis salutasset. Castigavit tamen MATER MAGNA clientē suam, cum præter Brigittæ matris & virorum Religiosorum voluntatem, patriam cogitaret. Visa est enim sibi CATHARINA inter mundi laborantis incendia frustra opem à VIRGINE rogare, ni Majorum voluntati pareret, & patriam cælo posthaberet. Mortua est pridie VIRGINIS ANNUNTIATÆ, cum plures annos quotidie animum confessione expiasset. Funus Ericus Rex suis humeris extulit. Cælum stellam legavit, quæ funus comitaretur. Miraris nobiles funeris curatores? Nobiliores anima habuit, Angelos. Ex Surio.

Vitam tuam quotidianâ discussione examina; attende diligenter, quantum proficias, vel quantum deficias: qualis sis in moribus, & qualis in affectibus: quàm similis sis Deo, vel quàm dissimilis, quàm propè vel quàm longè, non locorum intervallis, sed morum affectibus.
S. Bern. l. Med. c. 5.

S. OTHO CONF. 23. Martii.

ROMÆ natus OTHO Palladi primam ætatem devovit. A Pallade deinde ad Martem transit, utroque propitio. Nam & literis excultus, & armis præstans Lothario Imp. cum hic Innocen-

tio III. Pont. contra Pseudopontificem auxilium ferret, ita volente, veteri Majorum gloriæ Equitis etiam titulos adjecit. Nimirum nulla adæquè calcaria virtutem extimulant, uti aurea. Quòd tamen DEVS sub suis signis militare vellet OTHONEM, ostendit quæ mundus suis stipendia numeraret. Proin dum pro Alexandro III. Pont. contra Frid. Imp. arma gerit, speratque palmas & triumphos, captivus carcerem ab hoc aufert & vincula. Adest tamen D. Bernardus precibus vocatus, & dormientem ex hostium manibus non vano somnio educit. Squalor carceris & fames longa alium vultum OTHONI induerant, ut facilè omnes falleret. Liber ergo arma in se vertit, sibi bellū indixit. Locus castris metandis placuit Beneventum inter & Asculum. Sed & propugnaculum ingens extruxit cellam humilem: tela preces erant: vulnera ab hostili manu nulla, honestissima à suâ manu tulit. Ita sese subjugato, Arianensium quoque superstitionem aggressus expugnare, effecit, ut qui ad id tempus Jani bifrontis imaginem, quæ publicis, quæ privatis ædificiis præfigebant, Christiani Christum potius præ se ferrent, quam Deos ridiculos. Iisdem imminentem ob scelera non modò ab Agarenis, sed Christianis etiam vastitatem, & ruinam prædixit; cui tamen ipse morte subduxit sese. Ex Ferrar.

Quæ nos agit vesania vitiorum? sitire absinthium, hujus mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium impiæ Tyrannidis ferre dominium, & non magis convolare ad Sanctorum felicitatem & ad Angelorum societatem? S. Bern. in Medit.

S. SIMON TRIDENTIN. M. 24. Martii.

Terum hodie impietas odiis suis sanguine innocentilavit, & cum Christi non potuit amplius, Christiani certè sanguinem fudit crudelis. Tridentum tragœdiam spectavit. Egere Judæi, & principem Christi personam SIMON sustinuit, puerulus vix dum menses viginti novem natus. Matres omnes Tridentinæ illacrimarunt. Porrò nomina præcipuorum carnificum sunt Moyses, Samuel, & Tobias, sancta nomina, sed improbissimi homines. Ex his Tobias, fortè lusitabundum ad ædes paternas SIMONEM, & blanditiis captum pullum in domū Samuelis nequam vultur asportavit. Tum verò convolavit cum Moysæ reliquum corvorum agmen: uvæ, poma, & id genus illecebræ primò objecta lacrimanti. Tum denudatum corpusculum & injectum, quod vagitum strangularet, collo strophium. Mox sceleris auctor Moyses è genis particulam carnis forficibus princeps aufert, inde alii atque alii succedunt. Idem in dextrâ tibiâ factitatum. Tum denique in formam Crucis extensa victima omnium stylis ac cultris præda cessit, & sanguis sitim cruentam restincturus cratere exceptus est. Horam carnificina durarat, cum SIMON è manibus tortorū in cælos evasit. Hodie meritò illi plaudit juvenus, ut qui maxima patientem Christum tantillus nobis retulit.

Ex Ioan. Matth. Tiber.

Si tibi JESVS semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat: hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua; mel tuum, desiderium tuum; lectio tua & meditatio tua; vita, & mors, & resurrectio tua. S. Bern. in Form. Vit.

AN-

ANNUNCIATIO B. M. V. 25. Martii.

Hic ille dies est, quo non tam VIRGINI, quam mortalibus omnibus salutem Cælū nuntiavit. Nam cum homini consulere in humanā imagine DEVS statuisset, eamque in rem jam olim præ omnibus sibi in matrem MARIAM legisset; ad illam legatum Gabrielem misit, qui postulata exponeret, & VIRGINIS Cælitum nomine assensum peteret. Fecit hic imperata, & lætissimum illud Avæ lætus MARIÆ tulit, aliaque in laudē addidit, quæ Angelum imitantes homines meritò quotidie gaudemus iterare. Sed nunquam pulchrius illi erubuit, quam ad tot laudes suas; mirante nimirum honorem suum modestiā, quā nemo unquam minus agnoscit dotes suas, nemo minus libenter extolli audit. Itaque aggressus timorem adimeret beatus Nuntius, matrem fore varicinatur DEVS, inde nomen adjicit filii; scepra item & regna (omnia æternatura) promittit. MARIA, vel quòd quænam virgo paritura esset nesciret, vel quòd mater sine virgine esse nollet, longè magis hæsitare, & de pudore, quem DEO voverat, anxia, quæ id fieri posset, rogare. Mox tamen, ut ille arcanum rei ordinem enarravit, ANCILLAM modestissimè se præfata annuit, & verbum illud expectatissimū, FIAT pronuntiavit. Tunc HOMO DEVS & DEVS HOMO potuit dici. Tunc VIRGO quod DEVS fecit, & unico verbo, quo hic orbem antè creavit, illa re creavit. Ex S. Luca & Ioan.

Inter gratias Virginis præcipuè redolebat Myrrha Castitatis & Thus Pietatis. Odor iste super omnia aromata, Dominū Majestatis de Excelsis attrahit & iuvitat ut inclinet calos & descendat. Gueric. l. i. de Annunc.

S. LUD.

S. LUDGERUS EPISC. 26. Martii.

CÆlo prius quàm lucem aspiceret, charum esse LVDGERVM apparuit. Palus enim per cadentis matris latus egressus, cum mortem illaturus utrique crederetur, obstetricis instar fuit. Vix verba fingere blæsa, vix gressum firmare scivit, cum magnam in parvulo indolem studia proderunt. Neque enim ille, ut amat ea ætas, ludicris delectari, sed jam tum seria agere, & vel cortices in libros concinnare, vel lectitanti similis aut scriptitanti assidere. Quare compellatus à nutrice, quî diem transégisset, vel libros, respondit, scribendo vel legendo scriptos. Iterum quo magistro usus esset, rogatus, Deo, subjecit. Talem in familiaritatem suam Musæ, & in ipsa adyta sapientiæ admiserunt, quam ut in alios effunderet, ad Frisones Saxonesque contendit: Episcopus Monasterii primus Cœnobium etiam Werdense extruxit, & cum nemora densa obsisterent, ad hæc excindenda famulis ventis est usus, qui noctu eversis latè arbutis, aream amplam ædificio pararunt, unâ tantum arbore relicta, quæ precantè LVDGERVM texerat. Illud etiam memorabile. Carolum M. cui imprimis charus erat, tertio vocatus, dum preces, quas Canonicas dicimus, recitaret, neglexit adire, & appellatus eâ de re, respondit cum majore Principe sibi colloquium fuisse. Atque hæc, quæ offenderet delicatorem ætatem nostram, libertas, chariorem etiam Carolo fecit, meruitque hic, dum astra, Alcuino doctore usus, contemplatur, novam stellam in cælo videre, LVDGERVM mortuum. *Ex Surio & Lippeloo.*

Verè breve est omnino tempus. Infelix proinde qui in

vita

*vita hujus lubrico fidens perituram insumit operam,
nec advertit, quoniam vapor est ad modicum parens,
& vanitas vanitatum. S. Bern. in sent.*

S. RUPERTUS EP. 27. Martii.

Sanguinem suum, quem ad Franciæ Reges Du-
cesque Hiberniæ referebat RUPERTVS, tum
nobilem esse probavit, quando Vangionum Epi-
scopus virgis servilem in modum per urbem cæ-
sus, & in exilium est actus. Sed nobilissimo exuli
dignum domicilium patuit, Bojaria. Huc evoca-
tus in exilium inde superstitionem misit, & pri-
mus ferè Boiis patriam suam cælum ipse exul
ostendit, regemque primò Theodonem, tum
proceres, mox populum magno numero sacro
fonte lustravit. Abhinc sedem & arcem sacrorum
Juvaviæ (quæ hodie Salisburgum est) posuit, mox
Cœnobium hîc templumque D. Petro, alterum
dein montibus, idque D. Maximiliano sacrum,
velut præsidium sanctæ religionis imposuit, pro-
digiosis ignibus tunc nobile. Sub hæc in patriam
magnis itineribus contendit, novasque auxiliares
copias viros XII. adduxit, sui planè, ut aliud nihil
dicam, simillimos. His adjuvantibus bellum san-
ctum, totam penè Bojariam Christo subegit, tem-
plaque velut propugnacula pietatis plurima pas-
sim extruxit. Inter hæc utique & pulcherrimum
ornamentum patriæ, & firmissimum munimen-
tum Ædes veteris Oetingæ numeratur, DEIPARA
sacra; ut quando huic omnia se debere Boii fa-
tentur, multum profectò etiam RUPERTO de-
beant, qui Regionis tutelam, eam VIRGINEM
inquam, princeps conciliavit. Obiit anno DC.
XXVII. fati sui certus & dei. Parentare lacrimis
omnes

omnes Boii, sed Angeli cantu festivo visi: illi fordidati, hi candidati: ut nosset illos funeri, hos animi triumpho adesse. *Ex Surio.*

Ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujusque modi necessitatem, aperta est nobis urbs confugii; sinus Matris expansus est, parata sunt foramina petra, patent viscera misericordiae Dei nostri. S. Bern. serm. 7. Qui habit.

S. GUNTRAMUS C. 28. Martii.

Qui Reges salvam majestatem, & regna sua volunt, rectè arces ædificant, & propugnacula; sed rectiùs iidem aras struunt templaque, & ad stipendia optimos præsidarios, egentes evocant. Inter hos meritò Regem GUNTRAMVM numeramus, pulcherrimum Galliae lilium, & meritò in Marianum hortum transplantandum. Regias hic gazas omnes, vel in sinum pauperum, vel templorum adyta prodigus sparsit. Certavit verò cum GUNTRAMO DEVS, nunquam non victor, si de liberalitate cum homine certamen sit. Et forte fortunâ somno, ad quem à venatione fessum perstreptentis rivuli susurrus invitaverat, aliquantum indulgebat. Hic, qui pro dormiente vigilabat, armiger, videt Dominum cum somno nescio quod animalculum proflare; ei cum pontem ense regio struxisset, aquas superavit, & proximo spelæo successit, paulò post viam eandem relegens ore denudò Regis se abdidit. Subinde hic evigilat, & somnium de reperto thesauro narrat. Sed & armiger subjicit, quæ vigilans somniaverat. Ergo in specum itur, & ingens auri vis eruitur, sed omnis iterum cælo, hoc est templis, & egenis transcribenda. Quo factum, ut sicam eorum, qui parricidas

cidas manus afferre regi vel epulo sacro accumulanti, vel ad matutinas preces eunti parabant, semper Numē excusserit prodideritque. Tam firma, ô Reges, munimenta templa sunt, tam fidi, si admittitis, corporum vestrorum custodes pauperum sunt cohors! *Ex Paul. Diac. & Greg. Turon.*

Vsura mundi centum ad unum: Deus unum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione solliciti? Quare? homo homini exigua chartula obligatione constringitur? Deus tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur? S. Pet. Chryf. serm. 25.

SS. ARMOGASTUS ET SATYRUS.

29. Martii.

AMbos Geiserici Arriani Regis furor affixit, Acti SATYRVS regiæ domûs Procurator, ARMOGASTVS Comes esset. Et SATYRO quidem, ni ad perfidiam regis mores suos etiam ipse componeret, ob oculos ponebantur officii, bonorum, & liberorum spoliationes, magna semper apud aulicos momenta: ipsa aded conjunx ultimæ fortis homini, & qui camelos agebat, ad ludibrium jam fuerat destinata. Sed facile despiciere hæc omnia poterat SATYRVS, qui oculos cælo defixerat. Illa expugnare ferreum poterant animum: supplex marito conjunx & juncta matri liberorû cohors, firmissima acies; structæ deinde ante pedes insidiæ, infans, inquam, abjectus, minimus ille, sed maximus apud patrem orator; confusæ denique omnium in unum lacrimæ gemitusque, potentissima apud domesticos tela. Perstitit tamen inconcussus SATYRVS, & objurgavit etiam intempestivam suorum pietatem, & quæ impium in DEVM esse

esse juberet: Ita ab officio dejectus omnibusque exutus in exilium nihil præter innocentiam extulit fidemque DEO servatam. Jam ARMOGASTVS cum nervis tibiæ & frons torquerentur, nervo altero hos & fortiori (cruce) non semel rupit. E pedibus suspensus dormire poterat videri. Ad sabulum eruendum damnatus virum in arenâ se præstitit. Bubus pascendis præfectus dignum hunc Martyre magistratum censuit esse. Mortuus quoque tumulari, tamen non nisi sub arbore voluit. Sed egesta sub hâc humus sarcophagum è marmore ostendit tam splendidum magnificumque, ut invidere tumulum pastori Reges potuerint. Ex *Viç. Vticen.*

Si paupertatem vix ferre possumus temporalem, in æternum fieri mendicus quis durabit? Cur ergo Christianus, cui militare est id quod vivit seculo, non cogitat, ut pericula terrena otis caelestibus consoletur? S. Pet. Chryf. serm. 54.

S. EUSTASIUS ABB. 29. Martii.

Columbani discipulus fuit EUSTASIVS, ejusque in Luxoviensis Cœnobii præfecturâ successor. Pœnitentium dolori ita semper condoluit, ut prior ipse lacrimas daret, imò suis illorum proliceret lacrimas, optimam semper peccantibus medicinam. Etsi igitur lacrimis oculos suos corrumpere videretur, geminis tamen virginibus restituit amissos. Has inter Burgundophora fuit Chagnerici viri nobilis filia, & Deo jam olim desponsa; quæ cum postea, parente auctore, hominis thalamum cogitaret, vindicavit febris cogitatum adulterium, &, ut patri dolerent oculi, filiæ suos eripuit. **A.** EUSTASIVS primò patrem facinus suum videre,

videre, tum filiam etiam diem fecit. Jam inter eos, qui principes facem Christianæ legis in Boicam intulerunt, numeres EYSTASIVM licet. Et tulit ille operæ pretium suæ, non item Agrestinus, homo temerarius ac vafer, nihilque monachi præter nomen vestemque præferens. Hic malus in eum diem discipulus, religionis tamen magistrum affectavit, & cum minus ex sententiâ cederet, instituit magistrum EYSTASIVM totumque Columbani gregem calumniis petere, eamque in rem socios cogere. Sed ex his aliis lupo, aliis fulmen, morbus aliis, ipsi Agrestino silentium securis imposuit a servulo impacta; cum eum non multò antè accusatorem expertus EYSTASIVS, ad divinum tribunal vocasset. Secutus hic paulò post, prævisâ (quò minus timeret) morte, rectius accusaturus Magister discipulum ingratum. *Ex Surio.*

O si velimus omnem mentis nostræ paralyfin pervidere, animam nostram virtutibus destitutam jacere in vitiorum stratis videremus: luceret nobis, quemadmodum Christus & nostras quotidie noxias respicit voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit & perungit invitos. S. Pet. Chryf. serm. 50.

S. MECHTILDIS V. 29. Martii.

Ceras alii avitas in MECHTILDE easque Principum & Imperatorum numerant; at nos virtutes, quas si non omnes enumerare poterimus, aliquas certè advocabimus. Et primò quidè, quod ferè amat in illustribus puellis fieri, in cunis desponsa videtur, sed nimirum Christo. Certè quinto ætatis anno è parentis in DEI abiit Parthenonem, qui Dieflæ tunc fuit. Ab hominis thalamo quam abhorruerit, inde æstimes, quòd omni lecto absti-

nerit,

nuerit, carnem quàm oderit carnisque illecebras, inde, quòd ab hâc semper, dum vixit, abstinerit; sed nec vinum admiserit unquam, nisi Ratisponæ ex aquâ factum; si tamen id vinum fuit & non nectar potius, quod cælum invitæ tertio tunc miscuit. Jam virginē adultam illam, sed elinguem, & ab orco obsessam unâ operâ & linguæ vinculis, & obsidione tam gravi liberavit. Plura alia mira, quæ vel cùm Antistita esset Edelstertæ in Sueviâ, vel Dieffæ (nam huc sub vitæ finem rediit) à morte ipsius sunt prodita, quòd morbos reduces non silentibus minaretur. Capilli demortuæ fulmina exarmarunt. Pagum Diengensem cùm dotem monasterio impetrasset, partem reddituum devovit sanctioribus panibus pensendis, qui sacrificantium usui cederent. Atque hoc est credo, cur ultimùm agrotanti solatia è cælo tulit VIRGO MAGNA, & cibum divinum Angeli ministrarunt, quando nec epulum, nec epuli spectacula, nec structores, nec conviva nobiliores potuerunt esse. Ex tom. 4. ant. lect. Canisii.

Consitere peccatum, ut Christi possis venire ad mensam; ut sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum: ut fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem funditur. Agnosce te peccatorem, ut tecum prandeat Christus. S. Pet. Chryf. serm. 30.

S. REGULUS EPISC. 30. Martii.

ITer in Gallias D. Dionysio cum gemino comite instituenti tertius comes REGULVS accessit, non infelicibus auspiciis. Etenim cùm illi sanguine suo sterile etiamnum solum rigassent, inter divina REGULVS ejus rei nuntias ternas columbas habuit,

habuit, quæ singulæ singulorum Martyrum nomina in schedâ ferebant descripta. His ille auspiciis fretus bellum omni superstitioni indixit, templa passim Deorum evertit, DEO posuit. Cùm ex humano hospitiis Stygis incolam exigeret, voluit hic in mulum REGVL I migrare. At quò virtutem crucis vel ab hoc magistro docerentur nostri hæretici, mulus pede priore in pulvere crucem scripsit, itaque longè hostem proscripsit. Divus verò, qui aditum hunc orco negavit, exitum è carceribus Christianis facilè indulgit. Nam cùm permultis inter vincula agerent, REGVLVS scipione clavis vicem usus, ostium pulsavit, aperuit, vinctos omnes dimisit; cumque urbi Præfectus unam pro omnibus vicariam victimam REGVLVM morti destinasset, in somnis Dionysius adfuit, mortemque, quam REGVLO parabat, ipsi iudici intentavit. Illud simul lepidum, simul mirandum. Ad concionem dicebat; sed dicentem garrula animalia ranæ sæpè sæpius interpellabant. Imperavit REGVLVS silentium immorigeris, & ecce continuò tacitæ audiverunt declamantem. Dixisses tunc illas in homines iterum, hodie verò homines in ranas iterum abiisse.

Ex Petro de Nat.

Si amor Dei tenere te non potest, saltem teneat te terreat timor Iudicii, metus gehenna, laquei mortis, dolores Inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulphur fatens, Tartarea & omnia mala. S. Ber. de Int. dom. c. 63.

S. BALBINA V. 31. Martii.

PUellis aliis sponsum forma, BALBINÆ deformitas conciliavit. Id in hunc modum accidit. Ad miraculum primò formosa fuit, obque id parenti Quirino Tribuno unice chara. Sed quia hic

Alexan-

Alexandrum Pont. itemque Hermetem Præfectum ob fidem in vinculis habebat, Numen vindicare impietatem patris in filiâ (oculo parentis) statuit, colloque virginis ingens onus, & quod omnem pulchritudinem extingueret, strumam appendit. Cum hâc dote cum nulli jam placeret BALBINAM ducere, & parens desperandum sibi de nuptiis filiæ videret, Alexandrum in vinculis accessit, promisitque, si strumam filiæ collo pelleret, superstitionem se cum hâc animo pulsurum. Facile utrinque convenit. Vix admovit Alexander filiæ vincula sua, quæ Quirinus injecerat, cum illa strumam, uterque superstitionem posuit. Itaque jam nuptiæ splendide parabantur. Sed puer elegantissimus adstitit virgini, face armatus. Is sive Amor sive Hymeneus sanctior facile melioris Sponsi amore accendit, JESVQUE ut nuberet, induxit. Interea creberrima oscula salutis auctoribus vinculis Alexandri fixit. Idem præstitit monita ab Alexandro D. Petri vinculis. Mortui deinde pro Christo & Alexander & pater; virgo longius supervixit, utriusque heres virtutis. *Ex Ferrario.*

Sit suavis & dulcis affectui tuo Dominus JESVS contra malè utiq; dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clavus clavum expellit. Sit etiam fortis & constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. S. Bern. serm. 20. in Cant.